



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio XCIV. Argumentum. Demonstratur, non satis effe debitori ordinare restitutionem in Testamento, Res donata, moriente donatore, ac donario ante confignationem, quibus hæredibus fit danda? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

D E C I S I O X C I I I .

A R G U M E N T U M .

Explicatur, Quid sit Fortitudo? Quotuplex?
Quot ejus partes? Quale objectum Fortitudinis? Qui ejus Actus? Quæ vitia Fortitudini opponantur?

S U M M A R I U M .

1. Fortitudo quid sit tam corporis, quam animi?
2. Fortitudinis species due.
3. Fortitudo alia aggrediens, alia tolerans.
4. Vitia opposita Fortitudini quæ?

Circa hanc Virtutem sciendum, quod Fortitudo vel consideretur in corpore tam hominum, quam bestiarum, & est *validitas virium*, ut in Samfone, David, Goliath, ac Leone, de quo dictum est *Eccles. 30. Leo fortissimus bestiarum*. Vel consideretur in animo, & est qualitas inclinans, & juvans ad ardua & periculosa aggrediendum, & ad dolorifera, terribilia, ac tristitia jam inexistentia tolerandum. Ex S. Thom. 2. 2. *quæst. 123. ex Scoto in Sent. dist. 34. Ex Arist. 3. Ethic. 9. & ibi P. Sylv. Maur. in Comment. Et Eminens. Cardin de Lauræa dist. tom. 2. de Virtutib. in genere disp. 26. num. 20.*

Duplex autem est Fortitudo, Una *Similitudinaria*, alia *Vera*. Fortitudo *Similitudinaria* non est Virtus, & consistit in aggrediendis arduis & terribilibus vel in rebus prohibitis, ut in bello injusto, duello, torneamentis, vel ex motivo non honesto, sed aut ob interesse, vel ob fugiendam aliquam poenalitatem, puta egestatem, captivitatem, vel cum modo non virtuoso, ut cum ferocia, impetu iræ, aut cum stupiditate. *Vera* autem Fortitudo est Virtus Cardinalis respiciens ardua & periculosa aggredienda, & terribilia ac dolorifera toleranda ex motivo honesto, & in rebus præceptis, aut ex conciliis Evangelicis provenientibus. Et hæc est duplex. Una *Aggrediens*, & alia *Tolerans*. Utriusque autem Fortitudinis partes sunt *Fiducia*, *Securitas animi*, *Magnanimitas*, *Magnificentia*, *Longanimitas*, *Patientia*, *Constantia*, & *Perseverantia*. Objectum materiale remotum Fortitudinis sunt omnia terribilia continentia periculum gravis mali, etiam mortis: Proximum ipsi actus audendi, seu tolerandi. Objectum verò formale est honestas insurgens ex mediocritate audendi, & tolerandi ardua, terribilia, ac dolorifera. Actus Fortitudinis sunt aggressio arduorum, & tolerantia doloriferorum in his, quæ præcipiuntur à lege Divina, Naturali, & humana iusta; & ex his perfectior est actus tolerans, quam aggrediens. Fortitudini aggredienti duo Vitia opponuntur. Unum ex excessu, & est *Audacia*. Aliud ex defectu, & est *Nimia timiditas*, seu *Ignavia*. Vitia opposita Fortitudini toleranti sunt pariter duo. Unum *Mollities*, & dicitur ex defectu. Aliud *Stupiditas*, & dicitur ab excessu, siquidem Fortitudo, ut Virtus Cardinalis, non respuit omnem metum, ita ut homo aggrediens ardua, vel tolerans dolorifera fiat stupidus, & nullum sentiat timorem; nam Sancti Viri in tormentis timebant, & dolorem experiebantur; ac Christus Dominus, *Cepit pavere, & cadere, ac mæstus esse* tempore suæ Sanctissimæ Passionis; sed Virtus

Fortitudinis facit, ut expellatur metus, ac dolor, ex quibus recta ratio posset turbari, & animus frangi, cum offensione legis Divinæ. Ita ex Angelico Doct. 2. 2. *dist. quæst. 125. & seqq. P. Sylvestr. Maur. in Comment. Arist. 3. Ethic. tom. 2. Azor. part. 1. cap. 26. Gonet. in Cypio Theolog. Thomistica tom. 4. tract. 11. disp. 5. Emanuel Thel. in Philos. Mor. lib. 4. & Eminens. Card. de Lauræa dist. tom. 2. disp. 26. 27. & 28. ubi de hac Virtute Fortitudinis nihil intactum, nihil omisum, sed pie, ac doctè omnia recensentur, auctoritatibus, ac exemplis factis, & profanis comprobantur.*

D E C I S I O X C I V .

A R G U M E N T U M .

Demonstratur, non satis esse debitori ordinare restitutionem in Testamento. Res donata, moriente donatore, ac donatorio ante consignationem, quibus hæredibus sit danda? Confessarius an de suo teneatur dare pecuniam sibi subreptam, habitam à Penitente pro restitutione faciendâ?

S U M M A R I U M .

1. Testamento ordinare restitutionem an satis?
2. Sententia Judicis non expectanda in restitutione.
3. Expensa omnes ab injusto litigante solvenda.
4. Absolutus in prima instantia, sed condemnatus in secunda, teneatur ad expensas utriusque instantiæ.
5. Donante, ac donatorio mortuis, quorum hæredibus debeatur donum?
6. Gratia non destruitur morte concedentis.
7. Donatio facta absenti ante acceptationem non valet.
8. Morosus in exequendo teneatur ad damna.
9. Donatio absenti facta valet, sed est revocabilis.
10. Donatio per mortem donatoris sit irrevocabilis.
11. Traditio rei donata parit actionem ad eam consequendam.
12. Mandatum de re donanda expirat morte mandantis.
13. Penitens, an Confessarius si restituenda pereant, teneatur ea dare?
14. Res perit domino.
15. Culpa triplex.
16. Confessarius quando teneatur de suo facere restitutionem?

Frequens in praxi est Quæsitum. An satis sit in testamento ordinare solutionem debitorum? Responderunt, non satis esse, neque esse absolvendum debitorem, qui cum possit restituere ante mortem, vult differre solutionem, eamque committere hæredibus in testamento; nisi forte ita faciendum foret ad evitandum scandalum, vel infamiam; & ratio est, tum quia non videtur habere necessariam dispositionem, & propositum restituendi, cum velit restituere sub conditione, si moriar; tum etiam quia ut plurimum hæredes non restituunt, vel ex litibus, quæ insurgunt super hereditate, vel ex defectu bonæ voluntatis; quare multum falluntur, qui debita, cum possint, nolunt solvere; ut

ut ait Eminentiss. Cardin. Toletus lib. 5. cap. 24. num. 3. Tamburin. in Decalog. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 6. Mancin. in Pract. Visitandi infirm. Pract. 6. dub. 2. §. Sotus de Justit. lib. 4. quæst. 7. art. 1. concl. 3. Navar. in Man. cap. 17. num. 68. Cotton. in Summa Dian. Verb. Refit. ultim. num. 32. & ipse Diana Coordinatus tom. 1. tract. 4. resol. 51. quæ in veteri jacet in part. 5. tract. 3. resol. 104. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Justit. & Jur. tom. 1. disput. 20. num. 212. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Virtut. in gen. tom. 2. disput. 23. art. 5. & dictum est supra Decis. 79. num. 4. & Decis. 82. num. 8. & num. 11. ubi exempla animarum in Purgatorio existentium ob negligentiam hæredum in solvendis debitis.

3 Sit Secundum Quæsitum. An debitor tardare solutionem possit, donec iudex eum condemnet? Dictum fuit, non posse tardare, si debitum sit liquidum; quia non licet detinere rem alienam, nolente domino, neque defatigare creditorem dilationibus forensibus; est enim contra charitatem, & contra justitiam. Tamburin. in Decalog. dict. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 6. num. 1. Idcirco non solum tenetur talis debitor ad debitum solvendum, sed etiam ad damna, & expensas litis, quæ, & quas creditor fecit, etiam si iudex eum in expensas non condemnasset. Ridolphin. in Praxi cap. 13. num. 601. Scaccia de Sentent. & Re Judic. gloss. 14. quæst. 13. num. 70. Vestrius in Praxi lib. 8. cap. 2. Rota coram Eminentiss. Cardin. Celso decis. 74. num. 3. Imò si debitor fuisset in prima instantia absolutus ab expensis, & in secunda instantia sit in expensis condemnatus, tenetur solvere expensas utriusque instantiæ. M. Anton. Peregrin. in Decis. Patavin. Decis. 128. num. 13.

4 Curiosus autem valde est sequens Casus, cuius perita fuit resolutio. Videlicet: Vir Venetus dat torquem aureum Petro, doni causa mulieri Patavina consignandum. Petrus consignare tardavit, adeo ut donator & donataria dies suos clausierint extremos. Quæritur, An torques debeatur hæredibus donatoris, vel hæredibus donatarie?

Tres sententias inveni ad hunc casum. Primam, quod torques aureus debeatur hæredibus mulieris donatarie; ea ratione quia donatio est genus quoddam gratiæ, gratia autem non evanescit morte concedentis, sed ab executore debet ad suum effectum perducere, cap. Si super gratiam. de offic. deleg. in 6. & quamvis donataria sit mortua, jus ad ipsam spectans transmittitur ad ejus hæredes ad consequendam rem donatam, non solum contra ipsum donatorem superviventem, sed etiam contra ejus hæredes, l. Si quis argentum. §. fin. C. de Donatione. Nicol. Noalis de Transmissio. Casu 45. num. 7. & sic sentire videtur Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 6. num. 6. & Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 45.

6 Secundam: Quod ipse torques debeatur hæredibus Viri Veneti donatoris, siquidem communis est Theologorum, & Juristarum assertio, quod donatio facta absenti, ante ejus acceptationem non valeat, l. Absenti. ff. de Donat. l. Nec ambigi. C. eod. Eminentiss. Cardin. Mantica de Tacit. & Ambig. lib. 13. tit. 7. Jul. Clar. §. Donatio, quæst. 12. Antonin. Thesaur. Decis. Pedemont. Decis. 70. num. 1. Bonacina tom. 2. de Contractib. disput. 3. quæst. 12. punct. 4. num. 2. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 1. num. 5. Sed mulier hæc donataria mortua est absque acceptatione doni: Ergo donatio remansit invalida; qua invalidi-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

tate attenta, torques non est consignandus hæredibus donatarie, sed hæredibus donatoris ea ratione, quia Petrus censetur habuisse mandatum tradendi torquem mulieri, quod cum non fecerit ante mortem mandantis, post ejus mortem expiravit mandatum, l. Mandatum. C. Mandati. l. 2. §. Sed si quis. ff. de Donatione. Bonacina, & Layman. ibidem.

8 Tertiam Sententiam. Deberi quidem ipsum torquem aureum hæredibus donatoris, sed Petrum, ex cuius tarditate damnum illatum fuit ipsi donatarie, teneri ad solvendum valorem ejusdem torquis hæredibus prædictæ donatarie; quod docet Molina de Justit. & Jur. tom. 2. disput. 263. §. Juxta hætenus dicta; quem refert Layman. dict. cap. 1. num. 6. in fin. Bonacina dict. punct. 4. num. 3. Diana part. 6. tract. 7. & misc. 2. resolut. 4. quæ in Coordinato accepit sedem in tom. 8. tract. 7. resolut. 17. Trullenchi. in D. cal. tom. 2. lib. 7. cap. 17. dub. 4. num. 6. & 7. & Sanchez dict. lib. 1. disput. 6. num. 8.

9 Ex his sententiis prima tenenda est ea ratione, quia non est verum, quod donatio non valeat absenti facta ante ejus acceptationem; siquidem valet, & tenet, sed est revocabilis à donatore, antequam à donatario absente acceptetur; ut bene advertit Illustriss. Episcopus Sperellus decis. 81. num. 33. & 34. & constat ex aperto sensu dictarum l. Absenti. ff. de Donat. & leg. Nec ambigi. C. eod. & pluribus citatis tenet Thesaur. dict. decis. 70. sub num. 9. nec non Ceval. com. contra commun. part. 1. quæst. 54. num. 11. Cum igitur donatio fuerit valida à principio, & ab ipso Viro Veneto donatore, ejus vita durante, non fuerit revocata, per ejus mortem facta est irrevocabilis, imò confirmata censetur, adeo ut ab ejus hæredibus revocari non possit. Covarruv. lib. 3. Var. resolut. cap. 14. num. 17. Jul. Clarus d. §. Donatio quæst. 13. in fin. Thesaur. dict. decis. 70. num. 9. & Illustriss. Sperellus alios plures allegans dict. decis. 81. num. 35. & 36. Idcirco ad hæredes donatoris absque dubio torques spectare non potest, & per consequens pertinere debet ad hæredes Mulieris donatarie, ad quam missus fuit, & quæ representatur à suis hæredibus, l. Hæredem. §. 9. ubi DD. ff. de Regul. Jur. Nicol. Noalis de Transmissio. cas. 42. num. 10. quibus quidem hæredibus donatarie competit actio contra hæredes donatoris ad consequendam rem donatam, d. l. Si quis argentum. §. fin. C. de Donatione. Idem Noalis de Transmissio. d. casu 45. num. 7. Thesaur. d. Decis. 70. sub num. 5. Maxime quia in nostro casu donatio non processit ex promissione, ut acceptatio donatarie videatur necessaria ad actionem acquirendam, sed ex traditione, cujus vigore oritur actio ex Jure Gentium, ut advertit Eminentiss. Cardin. Mantica de Tacit. dict. lib. 13. tit. 4. num. 17. videlicet ex Jure naturali secundario, cui nihil magis congruit, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, l. Quæ ratione. §. Ha quoque. ff. de Acquiren. rer. domin. Et §. Per traditionem. Instit. eod. tit. Idem Cardin. Mantica dict. lib. 13. tit. 1. num. 8. Gloss. 1. in dict. l. Nec ambigi. C. de Donat. Azor. in Summ. C. de Donat. Vers. Cui possit donari. Mansfred. Govean. in addit. ad Clar. dict. §. Donatio, quæst. 12. Vers. Non valet. & Layman. dict. lib. 3. tract. 4. cap. 1. num. 6. Vers. Nihilominus. ubi ex hac ratione in hanc sententiam inclinat, quam amplexus fuit Clerus Bo-

nonien. in consimilibus Decisionibus casuum Conscientiarum Anno 1634. Mens. Septemb. cas. 2. ut refert Diana Coordinatus dict. tom. 8. tract. 7. resol. 17. qui in hac eadem sententia residet, cum E. man. Sa. Verb. Donatio num. 21. & Verb. Mandatum num. 2.

Neque obstat textus in l. 2. §. Sed si quis ff. de Donation. quia procedit, ubi quis dedit alicui in 12 mandatis, ut rem aliquam alteri donaret, nam moriente mandante ante donationem expirat mandatum; secus autem est, ubi donatio facta est immediate ab ipso donatore, prout in casu nostro, in quo Vir Venetus donat ipsemet torquem aureum mulieri Patavinæ, nec aliud mandat Petro, nisi ut rem jam ab eo donatam consignet donataria; ac propterea cum donatio processerit à libera voluntate Viri Veneti donatoris, & fuerit perfecta, quando tradidit Petro torquem ad effectum, ut securè eam deferret, & consignaret mulieri Patavinæ, non potest evanescere donatio, quamvis hoc nudum ministerium consignationis ex negligentia, seu malitia Petri non sit adimpletum ante mortem donatoris; prout respondet Illustriss. Sperellus d. decis. 81. num. 38. Tamburin. in Decalog. lib. 8. tract. 4. §. 5. num. 11. & magis apertè ad præsentem casum lib. 9. de Contractib. tract. 9. cap. 7. §. 6. num. 13. & 14.

Sed non minori curiositate, ac necessitate 13 censenda est resolutio hujus alterius Casus: Pœnitens obligatur restituere centum Petro, ea centum consignavit Confessario, ut clam ad Petrum deferret. Interim furto auferuntur Confessario. Quaritur, An Pœnitens, vel Confessarius teneatur alia centum mittere Petro? Et à Pœnitente alia centum esse restituenda Petro omnes dixerunt, quia illa centum consignata Confessario erant pœnitentis, res autem perit domino; & ipse pœnitens non erat debitor speciei, sed generis, ideo repereunte non liberatur, sed tantundem tenetur reddere Petro: ita omnes DD. S. Antonin. part. 2. tit. 2. cap. 4. §. 2. Navar. cap. 17. num. 67. Rebell. lib. 2. quæst. 13. num. 11. Molina tom. 3. disput. 754. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 24. num. 2. Bonacina tom. 2. de Restit. in gener. disput. 1. quæst. 3. punct. 9. num. 8. Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 5. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Justit. & Jur. tom. 1. disput. 21. sect. 5. per totam: in qua confutat opinionem Dianæ autumantis, si ea centum essent debita ex delicto, non esse pœnitentem obligatum amplius restituere, quia fecit quod potuit, & quod debuit, consignando illa Confessario, part. 2. tract. 17. resolut. 2. quæ in Coordinato dict. tom. 8. tract. 7. resolut. 45. & part. 10. tract. 16. resolut. 97. quæ residet in Coordinato dict. tom. 8. tract. 4. resolut. 71. Ridiculæ sunt enim illæ rationes, quæ si valerent, vix creditoribus! Porro an Confessarius teneatur ipse ex sua propria pecunia restituere alia centum Petro, & sublevare pœnitentem? pendet à culpa, cujus causa centum consignata sibi surrepta sunt furto. 15 to. Nam cum triplex sit culpa, lata, levis, & levissima, & in hoc casu Confessarius non teneatur nisi de lata culpa, eò quia acceptio non est in gratiam sui, sed pœnitentis, si redargui potest de dicta culpa lata, puta quia reliquisset illa centum in Confessionali sede, vel in Sacrificio super tabulam, aut in Armario aperto, utique 16 esset obligatus de suo folvere illa centum, non etiam, si tantum ob culpam levem, vel levissi-

mam furto ablata fuissent. l. contra. ff. de Reg. jur. l. 5. §. 2. ff. Commodati. l. 1. §. ult. & l. Quod Nerva. ff. Deposit. Reginald. tom. 2. lib. 25. tract. 8. cap. 50. num. 609. Molina de Justit. & Jur. disput. 549. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 7. num. 5. & 6. Diana part. 9. tract. 7. resol. 32. quæ in Coordinato habetur d. tom. 8. tract. 3. resol. 24.

DECISIO XCV.

ARGUMENTUM.

Explicatur, Quid sit Patientia? Quotuplex? Quodnam ejus objectum? Quibus mediis acquiratur? Quibus contrariis oppugnetur?

SUMMARIUM.

1. Patientia Virtus quid sit?
2. Quotuplex?
3. Patientia objectum quodnam sit?
4. Media ad acquirendam Patientiam.
5. Vitia contraria Patientia.
6. Jobi vita legebatur Hebrais per desertum.
7. Christi exemplum efficax pro patientia.
8. S. Ludovici Regis Francia patientia.
9. Justus Lipsius patiens in infirmitate.
10. Regis Lusitania factum pro amico infirmo consolando.
11. Spinula Nobilis Januensis egregium facinus.

Circa hanc virtutem sciendum: Patientiam esse honestatis ac utilitatis causam, rerum arduarum, ac difficultum voluntariam & diuturnam perpersionem: ex Ciceron. lib. de Invent. ex S. Augustin. Cyprian. & Tertullian. lib. de Patient. ex S. Thoma 2. 2. quæst. 136. ex Martin. Fonar. [post Summ. Toleti] Instit. Confessar. lib. 2. tract. 2. cap. 22. & ex Eminentiss. Cardin. de Laurza tom. 2. de Virtut. in gener. disput. 26. art. 9. §. 4. Duas autem species Patientia assignarunt. Unam, quæ expectat delinquentem ad pœnitentiam, & injuriosum ad satisfactionem; & hæc propriè pertinet ad Deum. Psalm. 7. v. 12. Deus fortis, & patiens, & Rom. 2. 4. An divitias patientie, & longanimitatis Dei contemnitis? & Math. 18. v. 26. Servus debitor rogabat, dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Alteram, quæ æquo animo tolerat mala, & injurias; & hæc propriè consideratur in homine virtuoso, & Christiano. Jacobs 5. 8. Patientes estote fratres usque ad adventum Domini: exemplum accipite fratres, exitus mali, laboris, & patientia.

Objectum autem Virtutis Patientia notarunt esse pœnalitates, quæ à Deo immediate immittuntur, ut sunt infirmitates, bonorum jactura, mors charorum; Injuriæ, quæ ab hominibus dantur; labores, qui pro observantia legis Divinæ, & Dei gloria sustinentur; & expectationem cœlestis beatitudinis, quia Spes, quæ differtur, affligit animam. Prov. 5. 13. Fornar. dict. lib. 2. tract. 2. cap. 22. undè agebat S. Philippus Nerus, à chiama Dio, la vita è di pazienza, e la morte di desiderio.

Acquiritur autem Patientia pluribus mediis, 4 de quibus idem Fornar. dict. cap. 22. Sed tribus præcipuis: 1. Oratione, ac meditatione vitæ Jesu Christi Domini nostri. 1. Petr. 4. v. 1. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armemini. 2. Humilitate. Qui enim scit, se dignum omni contumelia, facile suffert adversitates, & injurias. Eccles. 2. v. 4. In dolore sustine, & in humilitate